dore vestis mundicia vitae figuretur undique ad hostias et immaculati accedant.
Tales ergo deum habere ministros qui nullo carnis corrumpantur contagio, sed perfecta mentis et cor-
poris castitate splendeant. Qualiter autem diaconi ordinandi sint, apostolus plenissime docet
scribens ad Timotheum. Nam cum primum illis de sacerdotis electione, continuo subiunxit:
Diaconos similiter irreprehensibiles, id est sine crimine, sicut episcopos, pudicos, non
alibi nec criminatores, non bilingues, id est ne turbent pacem habentes, non multo vino deditos, quia
ubi ebrietas, ibi libido et furor dominatur; non turpe lucrum sectantes, ne de caelesti militia
lucra terrena sectentur. Post haec subiecit: Hi probentur primum et sic ministrent, nullum crimen
habentes. Et hi itaque sicut episcopi ante ordinationem probari debent, et si digni inventi fuerint,
sic demum ad sacrum ministerium admitti. Hi cum ordinantur, solus episcopus manum eis imponit,
quia ad ministerium non ad sacerdotium applicantur. Ponitur etiam orarium, id est stola, super sinistrum
humerum ab episcopo, ut per hoc agnoscant se accepisse iugum Domini, quo omnia ad sinistram, id est pre-
sentem vitam pertinentia, adversa fortiter tolerent, et divino timori subiciant. Acci-
piunt et textum evangeliorum de manu episcopi, per quem intellegant se esse praecones ev-
angelii Christi. Nam sicut lectoribus vetus testamentum, ita diaconibus novum praedicare praeceptum est, praeci-
pue evangelium, quod solis ipsis in ecclesia pronuntiare licet. Ad ipsos pertinet assistere sa-
cerdotibus et ministrare in omnibus quae aguntur in sacramentis Christi, in baptismo scilicet, in chrismate, in patena
et calice. Oblationes quoque inferre et disponere in altari, componere quoque mensam Domini atque vestire,
crucem ferre et praedicare evangelium et apostolum. Ad ipsos quoque pertinet officium precum et re-
citatio nominum. Ipsi praemonent aures ad Dominum, ipsi hortantur orare, ipsi clamant et pa-
cem ipsi annuntiant. Hos ostendit esse Dominus, qui post cenam proprio ore et propriis manibus sacramenta cuncta
dispensavit, et qui apostolos dormitantes ad orationem incitavit dicens: Vigilate et o-
rate ut non intretis in temptationem.

De presbiteris

Septimo loco sub sacro ordo presbyterorum, qui in veteri testamento a filiis Aaron sumpsit initium. Nam qui tunc
sacerdotes vocabantur, hi sunt qui nunc appellantur presbyteri, et qui tunc dicebantur principes sa-
cerdotum, nunc episcopi nominantur. Presbyteri autem interpretantur seniores, quia seniores graece presbyteri vocantur.
Debent ergo presbyteri seniores esse in populo Dei, non tantum aetate corporis, quantum prudentia morum